

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**VI. MISSAE à 4. Vocibus ordinariis, CANTO, ALTO,
TENORE, BASSO, 2. Violinis necessariis, 2. Litujs, vel
Clarinis, cum Tympanis, ex diversis Clavibus ad Libitum,
decorè tamen concurrentibus, Cum ...**

Kayser, Isfrid

Augustae Vindelicorum, 1743

Widmung

urn:nbn:de:bsz:31-38513


HONORI, AC VENERATIONI,
REVERENDISSIMI,
PERILLUSTRIS,
AC
AMPLISSIMI DOMINI,
DOMINI
UDALRICI,
S.R.I. PRÆLATI
IMPERIALIS, CELEBERRIMÆ,
ET EXEMPTÆ CANONIÆ MARCH-
TALLENSIS, ORDINIS PRÆ-
MONSTRATENSIS,
ABBATIS VIGILAN-
TISSIMI,
DOMINI SUI PERQUAM GRATIOSI,
PATRIS OBSERVAN-
DISSIMI.



REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS
AC AMPLISSIME
DOMINE, DOMINE &c.



Um è præli fuligine alterum Laboris musici partum
in lucem, usumque profero, Patrocinium, quo si-
bi à Momorum cavillis non metuat, quod aliud
exquiram, quàm REVERENDISSIMÆ, ac
AMPLISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ?
Ita sanè audacem me fecit Magna Illa, Subli-
misque, quam in TE admirantur omnes, universi stupent, SA-
CRATORIS MUSICES peritia. Quis enim est, quem fugiat,
quàm suavem, dulcemque Animus Tuus ad omnes Virtutum
omnium regulas attemperatus concentum resonet? non super-
bæ mentis ALTUM intonas, absit! Sed BASSUM canis Humi-
litas profundissimæ. TENOREM servas vitæ prorsus integer-
rimæ; & Soprano (Cantum dicimus) cantillas suaviter, dum
TE excubante securi dulcem in Morpheum colliquefcunt sub-
diti. FIDES item actionum omnium moderaris tam dextrè, ut
nec intendas nimium, nec inordinate remittas, omnia suo in nu-
mero, pondere, & MENSURA disponens. En! quàm PRÆ-
STANTISSIMUS hac in arte MUSICUS audias, ut adeò certius,
firmiusque, quàm sub umbra AMPLITUDINIS TUÆ o-
pella



pellæ meæ præsidium non licuerit invenire. Quamquàm nec alia, eaque non paulò ponderosior desit ratio, ut SACRO Opus hoc meum substernam PEDO. TIBI enim, REVERENDISSIME PRÆSUL! TIBI debeo omnem felicitatis meæ statum. TIBI debeo meas in tam Sacro, ac Canonico Ordine Investituræ, Professionis, Sacræque Aræ Primitias. TIBI debeo Sacra mea profanaque Studia; Quin & artis organicae, si non femina, incrementa certè, etiam ab exteris sumpta, TUIS adscribo sumptibus. Unde sanè necesse fuit, ut quosdam etiam manipulos TIBI, GRATIOSISSIMO PRÆSULI! tanquam perennaturas grati animi, memoriæque tabulas manere statuerim: nempe & in mare refluunt, qui inde profluxère, fontes. Admitte igitur, REVERENDISSIME DOMINE! tenue hoc folium in devotæ mentis meæ testimonium, & qua pridem me suscepisti gratiâ, eâdem me porro, Laboresque meos, NOMINI TUO Sacros, fovere non dedignare. Ita precor

REVERENDISSIMÆ AMPLITUDINIS
TUÆ

Filius obedientissimus

Isfridus Kayser.